DE CAUSIS PERTURBATIONUM MENTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS VORSTER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
DE PALMEDO, MED. ET CHIR. DR.
C. SCHWALB, MED. ET CHIR. DR.
C. STRAHL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

MATRI

DILECTISSIMAE SUMMEQUE VENERANDAE

AC

AVUNCULO SUO

CAROLO DE PERROT

OPTIME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quum ad litteras animum applicarem, ad medicinam me praecipue desiderium tulit, ut dux mihi esset ad morborum psychicorum scientiam.

Sed cur haec doctrina inter varias me occupaverit? Quia opinabar inter omnes miserias morborum psychicorum miseriam maximam esse malum, quo homo maximo bono, quo Deo maxime est propinquus, libertate est privatus, qua re perturbationum suarum quasi instrumentum fit. Si igitur unquam assecuturus essem, ut tantarum calamitatum partem sublevarem, conditioni vitae meae satisfacerem. Per totum temporis spatium, quod studiis dedi, illam doctrinam ex oculis nunquam perdidi, in qua res naturales et psychologia conjunguntur, et omnem dedi operam, ut cognitionem mihi pararem et naturae et organismi hominis et qualitatum animi humani.

Nunc autem, quum studiorum academicorum finem assecutus sum, iterum mihi quaestionem repeto: servabisne fidem in munere electo et vires tuae

sufficient. Porro num omnino doctrina illa ejusmodi est, ut in ea progressus exspectare possimus, an terra semper incognita ingenio humano erit? Alteram quidem quaestionem licet nobis affirmare; nam e temporibus Willisii, cum quo scientia morborum psychicorum solum quasi firmum obtinuit, usque ad nos scientia morborum psychicorum cum utilitate generis humani progressa est. Praecipue quisque nobiscum consentiet, qui conditiones contemplatur, sub quibus usque ad finem praeteriti saeculi gemebant mente alienati, atque illas, quibus nostra aetate fruuntur. Antehac carcer eorum domicilium fuit, vinculis aeneis verberibusque domiti sunt peiusque tractati quam malefici, et ut ferae curiosorum oculis monstrabantur; quod bestiis dabatur stramentum, cui incumberent, miseris illis non permissum, sed terra nuda eorum cubile erat.

Nunc plerumque ex carceribus, in quibus perturbati servabantur, nosocomia facta sunt, in quibus insani ut homines, non ut bestiae tractantur. Ubi in hisce domiciliis nunc vincula aenea, custodes cum taurea et cum fasciculo clavium, quibus secundum animi libidinem quondam utebantur, inveniamus? Domicilia igitur, in quibus mente alienati servabantur, nosocomia facta sunt, locoque metus et indignationis qui animum carceres contemplantem olim implebant, nunc misericordia ac luctus nos afficiunt. Quae sufficiant ad demonstrandum, sortem mente insanorum ope psychiatriae nostris temporibus mi-

tiorem factam esse; et si in sanandis morbis psychicis numeros eventuum faustorum non magnus est, tamen in therapia non nihil profecerunt. Quos profectus in tractandis insanis et si praecipue illi fermento debemus, quod omnia penetrat, doctrinae tamen, psychiatricae meritum est, quod permisit, se ab illo animo christiano, qui est creator cujuscunque verae humanitatis, se penetrari. Quum usque ad hoc tempus medici potissimum id spectaverint, ut mente alienatos humanius tractarent, hoc facto sperare possumus, nos, alienationem ipsam attendentes, certiores indicationes, certiores leges therapiae obtinere. Historia quidem nos docet hac in scientia fructus esse collectos, neque hanc doctrinam terram esse semper nobis incognitam. Altera vero quaestio est, num meae vires sufficiant ad illam partem medicinae tractandam. Ad quam ut respondeam potius dicam, amorem ac studium cupiditatemque rei esse indicia, nos ad rem aptos esse; num ipsae vires nostrae sufficiant, quis vere ad hoc responderit? Nec alii possunt neque ego. Voluisse etiam hac in re satis est, quum omnes nostrae vires simul intenduntur; ad finem coronatum rem quandam perducere in nostris manibus non situm est.

Opusculum priusquam incipiam, hoc animadvertam mea causa me instituisse, non ut inde litterae fructus capiant; ego potius, diversas auctorum sententias cognoscam et scientiam meam de hisce rebus amplificem. Doctrina morborum psychicorum prae-

cipue a tribus populis, qui nunc sunt columnae literarum, culta est, ab Anglis, Franco-Gallis, Germanis, et in tractanda hac disciplina diversum characterem trium populorum expressum videmus. In Anglis potissimum in therapiam animum adverterunt, ac modus illorum observandi jam hoc studio imbutus est, unde fit ut Anglorum classificatio non sit ista, quae ex re ipsa oriatur, sed quae oritur therapiae respectu. In autoribus Franco-Gallicis numerum magnum singulorum casuum enumeratum reperimus, saepe non satis respectis causis atque connexu interno singulorum, quo fit, ut Franco-Gallorum observationes theoria non sint turbatae, quod de nobis, magno studio ad rerum causas explanandas, magno amore theorematum captis dici non potest. Sed si nos interdum turbamus res theoria, maxime a nobis periculum remotum est, ne in maximo rerum numero nullum ordinem et legem invenire possimus. Ita quoque in hac doctrina cernimus, quomodo illarum trium nationum una alteram suppleat, et quomodo per illas tres scientia morborum psychicorum ad summum fastigium evadere possit.

Ut in morbis somaticis, ita in morbis psychicis reperimus causas et praedisponentes et occasionales. Causae praedisponentes sunt internae et quasi animi historia rebusque praeteritis formatae. Heinroth peccatum, Esquirol animi affectiones causas dicunt, quae maxime ad morbos psychicos praedisponant, quae sunt diversa nomina ad significandam

eandem rem, jacturam libertatis. Duo maximi perscrutatores hujus scientiae consentiunt, dicentes statum in quo homo non habeat plenam libertatem, solum fertile aptumque esse ad procreandos morbos psychicos. Causae occasionales sunt illae, quae germina latentia provocant. Plerumque sunt causae externae; oppositae causis praedisponentibus causae occasionales vim exercent momentariam et acutam, praedisponentes vero plerumque chronice agunt. Causae occasionales sunt causae somaticae. Plerumque causae externae et internae ad formandos morbos psychicos simul agunt, raro una harum causarum sufficit, quod scire magni est momenti, ne alienatione subito ex causa externa orta putemus, causam internam non adesse seque combinasse cum externa ad efficiendum morbum psychicum. Causae praedisponentes nobis praebent indicationes psychicas ad curandos morbos psychicos, causae occasionales indicationes somaticas.

Quod primum attinet ad clima atque illius vim ad efficiendos morbos psychicos Esquirol dicit calidum plurimas animi perturbationes non gignere, quod cum illa observatione non consentire videtur, in temporibus anni calidis plurimos fieri mente insanos. Quae contradictio bene tollitur, nam clima calidum non continet terras maxime habitatas et cultas, in quibus ex causis, quas postea afferemus, animi perturbationes frequentissimae sunt. Si multas perturbationes animi in Anglia climati adscri-

pseris, certe coelum nebulosum ac semper obtectum animum proclivem reddit ad melancholiam; at coelum Angliae non unica est causa, sed quod magis considerandum, sunt mores, magna hominum copia in spatio augusto ac damna atque incommoda inde orunda.

Nimius calor auget irritationem mente insanorum, nimium frigus deprimit. Esquirol numerum consignavit per novem annorum spatium eorum, quos in nosocomio Salpétrière recepit, qua ex tabella videre licet numerum receptorum maximum fuisse in mensibus Majo, Junio, Julio, Augusto ac numerum imminutum esse mense Septembri et usque ad Decembrem magis magisque decrevisse; mensibus Januario, Februario, Martio numerus minimus fuit.

Forma ac natura perturbationum saepe mutatae sunt cum temporibus anni; alii insani quum aestate excitati sunt, hieme deprimuntur et vice versa. Etiam in decursum morbi diversa anni tempora influunt et in sanationem. „Les manies qui éclatent au printemps et en été, ont une marche aiguë; si elles ne guérissent promptement, elles se jugent dans l'Hiver. Les monomanies et les manies d'automne ne se jugent qu'au printemps. L'été est plus favorable à la guérison de la démence. Les guérisons qui ont lieu pendant la saison chaude, sont plus rares mais plus durables. Les rechutes sont plus imminentes à l'époque de l'année qui a

vu éclater le premier accès; elles sont plus fréquentes au printemps, en été, quoiqu'elles aient lieu aussi en hiver. Les rechutes, dans la même saison, quoique après plusieures années d'intervalle, éclatent avec une régularité parfaite dans quelques folies intermittentes."

De vi lunae in alienatos multa sunt narrata; hoc sane facile est ad intelligendum, lumen radiosque lunae excitare aegrotos. Si aegrotis fenestrae, per quas intrat lumen lunae, obtectae sunt, non excitantur et plerumque excitatio solum provenit e luce et umbra insolita. Alii delectantur luce lunae, alii moerent, lugent, timent. Tamen negari non potest, interdum morbos psychicos typum habere lunaticum.

Si aetatem dicere volumus causam esse perturbationum animi, id solum contendamus, in quadam aetate plurimos morbos psychicos apparere. Aetas infantis non est proclivis ad alienationes neque mente alienatur, nam imbecillitatem animi, morbum, in quo ingenium et facultates non evolvuntur ex deformitate, vitiis organicis aliisque causis, inter morbos animi non referimus. Tempore pubertatis plurima germina ponuntur, tamen aetate virili plurimae alienationes apparent.

Quum interrogamus, utrum vir, an mulier magis inclinet ad morbos psychicos, hoc differt secundum populos et mores. In Gallia numerus perturbationum major est inter feminas quam inter viros,

in Anglia inter viros major. Educatio feminas in primis ordinibus proniores reddit ad alienationes mentis, quum oblectationibus ita capiantur, ut nil severi earum animum subeat, ac nullus labor strenuus eas defendat contra distractiones. Praeterquam vero quod nimia distractio indeque orta mens dissipata in multis feminis sit causa disponens et amor, qui totum earum animum corripit, praecipue si falluntur ficto amore, passim eas ad desperationem adducat, in sexu sequiori sunt multae causae occasionales, ut menstruatio, graviditas, puerperium, partus, lactatio, quae cum causis praedisponentibus efficiunt alienationem. Studia quoque et vitae genus vim exercent in provocandos morbos psychicos; qui itaque nimis strenue litteris incumbunt neque abstinent unquam ab una et eadem materia, neque fruuntur labore, quia sine fructu laborant; qui non otio fruuntur, apud quos nimis phantasia dominatur, praecipue non regulata, qui abripiuntur amore theoriae atque idearum supranaturalium, amore res ad solutionem nondum maturas solvendi, illi proclives sunt ad alienationes mentis, quibus porro successus laborum non sufficiunt ad ardorem vel superbiam et gloriam explendam, hi omnes praebent ad perturbationes animi terram aptam, praecipue si insuper vita dissoluta fruuntur et dediti sunt Baccho et Veneri aliisque excessibus.

Multitudo perturbationum augetur vicissitudinibus, quibus homines secundum conditiones quas

obtinent vel natu vel meritis, expositi sunt. Agricola et opifex multo minus morbis psychicis secundum suam conditionem expositi sunt; saepius jam mercatores, qui saepe totum animum, fortunam et sortem in speculatione una posuere, miles, politicus et principes, qui heri ad summum fortunae fastigium ascenderunt et qui hodie privati omni honore.

Non raro cernitur, mutationem vitae laborum plenae cum vita otiosa causam fuisse morbi psychici. Quod non raro evenit apud milites, qui vita maxime laboriosa transacta, quiete et otio fruuntur; vel apud mercatores, qui postquam maxima cum diligentia divitias sibi acquisivere, in quiete frui volunt opibus.

At ratio vitae quoque morbos psychicos provocat, qua homines radiis solis perpendicularibus, aut vaporibus carbonis vel metallorum noxiis expositi sunt.

Pinel dicit: l'habitude de l'ivroguerie, d'une galanterie illitimée et sans choix d'une conduite disordonnée ou d'une insouciance apathique peuvent dégrader la raison et aboutir à une aliénation déclaré.

Omnes medici masturpationem inter causas morborum psychicorum frequentissimam censent; viris magis quam feminis nocere videtur, nam non rarius invenitur masturpatio in femina quam in viro. Nonnulli accusaverunt continentiam, sed certe multo

rarior est causa mera continentia quam continentia conjuncta cum phantasia maxime proclivi ad imagines lascivas et obscoenas. Sed excessus in Venere tam saepe efficiunt animi perturbationes, ut Esquirol in nosocomio Salpétrière vicesimam partem puellas publicas fuisse dicat.

Abusus spirituosorum ut provocat maniam praetereuntem, et delirium tremens, in quo morbo aegroti hallucinationibus vexantur, sic quoque perennem animi perturbationem adducit. Sed non solum spirituosa, verum etiam multa medicamenta in sensorium commune exercent vim pessimam et narcotica et praeparata metallica.

Cujus momenti mores sint in provocandis morbis psychicis, jam quaeramus. A. de Humboldt inter Americae indigenas paucos invenit mente alienatos. Carr dicit in Russia se rure paucos invenisse et pari modo affirmat rure alienationem multo rariorem, quam in urbibus esse. Nec injuria contendi potest, quo major urbs, quo major numerus incolarum, eo frequentiores perturbationes animi existere.

Quod non difficile est intellectu, quoniam cum multitudine hominum augescente difficultas quoque commercii augetur, et multae cupidines, animique affectiones in urbibus excitantur, quae rure in obscuro latent. Itaque rure invenimus perturbationes animi commotas amore, curis domesticis, furore, quibus causis in oppidis adjunguntur ambitio, laesio

amoris, res adversae subito irruentes, et ratio vivendi sobria ac laboriosa rusticum magis quam oppidanum ab alienationibus mentis defendit.

Ubi mores sunt minime corrupti, ibi minimum quoque mentis perturbationum numerum reperimus et omnia quae depravant mores, causas morborum psychicorum augent. Liceat hic ad verba diligentissimi auctoris Esquirol provocare, quae quomodo cum moribus Germaniae nostra aetate consentiant, unius cujusque judicio permittitur.

Pinel causam alienationum educationem maxime severam arbitratur, qua infantes in metu et terrore sempiterne adolescant, quae educatio voluntatem propriam, sicuti omnes proprias cogitationes reprimat. Item opposita educatio, quae liberos suae libidini permittit, perturbationes animi provocat, quum in juventute affectiones domare non adsuescant.

Quod ad discrimen adtinet inter diversos ordines societatis humanae, multi volunt inter primos ordines plures alienatos inveniri quam in infima classe, quod quidem Esquirol negat dicens: infimas classes omni carere educatione, et etiamsi in primis ordinibus educatio falsa existat, in his tamen abstineri a vitiis multis ex more et consuetudine. Qua in re oportet nos animadvertere, classem infimam in Gallia, praecipue Parisiis multo magis carere educatione quam apud nos, ubi schola ac religio in omnes fere vim exercent salubrem; ne-

que ullum ordinem dicere possumus, nullam per totam vitam accipere educationem, ut in Anglia vel Gallia.

Calamitates insuper publicae sunt ad efficiendas alienationes graves, quia possessio minime est tuta, atque cupiditates animique affectus in illis regnant ac dominantur; ambitio singulos stimulat, ita ut alius hodie ad summos honores perveniat, alius de summo honoris fastigio praecipitetur. Etsi vero ex his rebus animi perturbationes minus pendent, nam animus jam proclivis esse debet, tamen perturbationi istis tempestatibus color quidem ac signum impertitur.

Maxime est notum in nosocomiis alienatorum imagines esse expressas cujusque temporis, nam ideas et personas, quibus tempora maxime moventur, in illis repraesentatas invenimus. Sed ut jam commemoravi, tempora non condunt alienationes, sed solum temporum imagines alienatis tanquam speculo redduntur. Vis atque actio, quam tempora exercent in mentis perturbationem, magis est ut ita dicam formalis. Nam causae externae non sufficiunt ad perturbationes procreandas.

Supra dixi mores gravissimi esse momenti, et iis temporibus quibus mores maxime depravati sint, numerum alienatorum maximum esse. Quum nostra aetate numerus alienatorum in nosocomiis augeatur, propterea concludere non possumus, nostra aetate mores magis corruptos esse quam aliis temporibus;

imo respiciendum, his temporibus nosocomia meliora esse et hanc ob causam in his aegrotorum numerum auctum esse et multo minorem in carceribus, domibus suis aliis locis servari. Quae animadversio eo solum spectat, ne inducamus, ut ex numero aliёnatorum qui jam sunt in nosocomiis, concludamus, quales sint mores cujuspiam nationis.

Affectus animi inter causas psychicas perturbationum primum tenent locum et quum affectus animi et pathemata sunt praetereuntes status animi, in quibus hic libertate privatus est, in alienationibus illam per longius temporis spatium amissam conspicimus. Affectus autem animi aut exaltationes, aut depressiones esse possunt, ex illis mania ex his lypemania vel melancholia oritur. Mania conjuncta est cum hyperaesthesia systematis nervosi, melancholia cum anaesthesia. Ad affectus animi commovendos accedunt quoque aliae causae, ut ambitio, superbia, metus, terror, res adversae, sollicitudines domesticae, in quibus omnibus libertas animi vincta est. Pinel, animi perscrutator diligens, pugnam inter conscientiam, religionem, educationem et affectus animi causam affert perturbationum. Illa quidem pugna est sine successu prospero.

Denique frequentem causam perturbationum dicam amorem. Amor, in quo res ceterae jura sua amittunt et affectus tantum amatori imperat. Quando igitur persona amata amatori eripitur, vel quando amor non refertur, quia amator totam personam

omnesque cogitationes in amorem suum contulit, vel profundo luctu, lypemania vel desperatione abripitur.

Quod non solum ita in amore invenitur sed etiam in omnibus aliis affectionibus, quibus totum nostrum animum tradimus, quum re nobis unica perdita animus quoque, quem tradideris rei, in periculum vocetur naufragii.

Nec raro complures causae se consociant, simulque agunt in procreatione morborum animi. et causae psychicae singulis casibus sufficere possunt ad perturbationem animi proferendam. neque semper causas externas complicari cum internis necesse est. Quapropter quidem minime contendam: esse alienationem, quae jam per longum temporis spatium exstiterit non mutata materia, aut organismo non affecto tempestatibus. qua animum turbaverint.

Affectionem animi diu perstitisse, neque affecisse organismum et organon quidem, quod est instrumentum functionis laesae, minime verisimile est.

Neque ulla lex physiologica opposita est ei, qua cogitationes vim exserunt in organismum et eam quidem, quae non solum in functionem organismi, sed etiam in organismum ipsum effectus diuturnos exhibet.

Non solum quum cogitamus de cibis jucundis, saliva nobis in os irruit, nec solum res imaginis lascivae vim exercent in systema genitale, sed Romberg ipse et alii medici statuunt cogitationi-

bus de mala valetudine sempiternis, ut in hypochondria, organon aegrotum fieri posse. Quum res ita se habeant, nescio cur negemus, animi affectiones per longum tempus in corpore effectus producere posse.

Jam a causis internis vel psychicis morborum animi transeamus ad causas occasionales, seu causas physicas, seu causas ex organismo pendentes. Optime a causis externis ad internas transgredimur allegantes causam hereditariam, quae tam frequens est ut terrore percutiamur. In pauperibus sexta pars alienatorum oritur ex familiis, in quibus mente insani vel sunt, vel fuerunt, et Esquirol opinatur etiam apud hos numerum majorem fortasse esse. In primis ordinibus multo etiam frequentior est numerus alienatorum ex causa hereditaria, praecipue in Anglia, ubi eae familiae, in quibus jam hereditaria est alienatio, insuper se jungunt nuptiis.

Hereditas alienationis vultui et faciei formas proprias impertit, neque solum habitus externus signa prae se fert proclivitatis ad dementiam sed etiam inclinationes, cogitationes, ratioque, quae se subsequuntur. Nam ut infantes formas parentum, orisque lineamenta ostendunt, ita educatione character eorum transfertur in liberos: ita ut ad tollendam proclivitatem liberorum ad maniam prima conditio sit, ut a parentibus liberi amoveantur.

Mania hereditaria in liberis saepe eodem tempore provenit, quo in parentibus, iisdem causis excitata

iisdemque occasionibus. Mulier quaedam mente alienata est anno vicesimo quinto post puerperium, filia ejus eandem aetatem agens et eadem causa idem passa est. Swieten dicit, omnes mente insanos convulsionibus laborasse per infantiam; laesione capitis, si quis infans in caput procidit, saepe provectiori aetate mania nascitur. Masturbatio efficit melancholiam, suicidium, dementiam; dementes et ii quos vocant *cretins* effrenatae masturbationi se tradunt, et hoc est magnum apud eos sanationis impedimentum. Effectus psychici, quos mater gravida patitur, infantem praedisponunt ad perturbationes animi. Sic nonnullae mulieres per revolutionis francogallicae aetatem variis temporibus pepererunt infantes, qui rebus minimis in maniam inciderunt. Mulieri inferiori a conjuge ebrio plagae intenduntur, valde terretur, parit infantem tenera valetudine, qui saepe repente terrore comprehenditur et postea mente orbatur.

Inter causas occasionales insaniae apud mulieres maximi momenti est menstruatio. Esquirol quidem sextam inter causas occasionales partem ei attribuit. Turbatio menstruationis, causis physicis aut impressionibus psychicis, aut aetatis conditione provocata favet insaniae origini. Menstruatio suppressa esse potest vel prorsus cessare, saepe nimis frequens aut nimis rara est. Sanguis secretus aut qualitative aut quantitative mutatus esse potest. Interdum menstruatio nimis larga est et brevibus intervallis redit,

antequam erumpit insania. Fit interdum, ut in turbatione mentis ne minima quidem menstruationis turbatio inveniatur. Reditus menstruationis insanis semper fatalis tempus est. Fluor albus, qui menstruationis loco saepe profluit, mentis turbationes efficit, si supprimitur, et grave est therapiae cognoscere, quomodo haec res se habeat. Omnino omnes evacuationes et secretiones consuetae, si supprimantur, turbare possunt mentis habitum. Saepe sequitur morbos typhosos dementia aut jactura memoriae, quae interdum restituitur, nonnunquam prorsus perit. Constat enim inter omnes, saepe memoriam eorum, qui typho laboraverunt, tamquam tabulam rasam fieri, ita ut notissimas res, tamquam ignotas, denuo discere debeant. Febres saepe praedisponunt ad conturbationes animi. Adolescentes undeviginti vel viginti, viginti unum annos nati incidunt interdum in repentinam insaniam, sic ut nullam aliam causam, quam inflammationem cerebri per pubertatem proferre possis. — Obstructiones primarum viarum per materias mucosas aut biliosas, per sanguinem, per vermes, taeniam, lumbricum, strongylum causae sunt insaniae; item usus narcoticorum, quae nervorum systema alterant. Affectiones chronicae ad quas corpus adsuefactum est, sicuti ulcera, exanthemata, cito suppressi catarrhi, nimis cito clausa vecicantia, secretiones anomalae subito sublatae adeo afferre possunt insaniam. Epilepsia, si diu durat, plerumque defectum facultatum animi, praecipue memoriae ef-

ficit, et frequens ejus exitus est dementia. In instituto, quod dicunt „*Salpetrière*", CCC epileptici sunt, quorum dimidia pars mente laborat. Mania epilepticorum maxime periculosa est et furor eorum nonnisi difficillime domari potest. Hysteria et hypochondria saepe sunt initium turbationis mentis. Apoplexiam sequitur, sicuti singulorum membrorum et nervorum paralysis, sic etiam nonnullarum facultatum animi jactura.

Hallucinationes.

Frequentissimae conturbationum animi causae sunt hallucinationes et illusiones, et maximas difficultates praebent earum sanationi. Phantasia reproductiva profert hallucinationes, i. e. imagines phantasiae, quae sensibus non percipiuntur. Nempe tam vehementer mens commota est, ut res sibi fingat vere adesse, quae re vera non adsunt. Qua in re sensus et nervi prorsus non tanguntur. Sola hallucinationum sedes est phantasia reproductiva, quae ex memoria profert vividissimas perceptiones. Saepissime hoc fit in somniis, ubi tamen expergefactus intelligit errorem.

In illusionibus nervi sunt alterati et quidem peripherici, impressiones adducuntur sensorio communi, hoc ipsum autem alteratum est, neque nervorum actiones integras percipit quum ratio patiatur falsarum idearum et perturbationum animi vim.

In hallucinationibus igitur nervi nullius momenti sunt, phantasia reproductiva creat imagines. Sed in illusionibus nervi agunt, judicium autem errat in judicandis incitamentis, quae adducta sunt centris systematis nervosi. Dormientibus illusiones quoque minime sunt ignotae, nam dormientes musicam percipimus, neque aliorum nervorum energia exstincta est; attamen de illis, quae dormientes percipimus, minime recte iudicamus.

In hallucinationibus persuasum habemus nos sensibus percipere res, quae non exstant objective; credunt aegroti se cernere res, quamquam nulla res radios luminis in nervum opticum reflectit.

Audiunt neque nervus acusticus sono afficitur, nasus odoratur neque olfactorius tangitur corporibus gasiformibus; nervi, qui gustum percipiunt, gustant, nervi sensitivi sentiunt neque earum rerum incitamenta suppetunt. Aliis visiones apparent, Deus vel Christus vel aliae personae ab iis cernuntur, vel aliae figurae, quae creantur eorum imaginatione; visiones per signa eos quasi alloquuntur et per signa voluntatem suam pronuntiant; figuras, quae apparent, notant et delineant, hallucinationes describunt et litteris mandant. Alii diabolum vident, alii coelum apertum et ex eo descendentem Dei matrem.

Saepe alienati modo circa hallucinationes falluntur, dum in ceteris rebus earumque judicatione, non spectante ad hallucinationes, non errant. Quum quae sensibus percipiamus nobis maxime certa

sint, illi de veritate hallucinationum minime dubitant.

Simulac hallucinationes disparuere, convalescentes et sani facti memoriam habent hallucinationum, quae ita animo eorum inscriptae sunt, ut historiam morbi sui rectissime describere possint.

Hallucinationes visus atque auditus sunt quidem frequentissimae, sed etiam aliorum sensuum hallucinationes sunt.

Hufeland narrat exemplum studiosi Berolinensis, qui nocte in domicilium reversus stupefactus est terrore et facie livida coloreque evanescente commilitonibus dixit sibi infra spatium trium dierum moriendum esse. Quum frustra persuadere de errore studerent, Hufeland eidem magnam opii dosin dedit, qua per tres dies dormiret.

Postquam experrectus est ex longo somno, cognoscit imaginationem eum habuisse ludibrio; fatetur se sero domum reversum in lecto vidisse cranium humanum, quod clamaverit: intra tres dies moriturus es.

Alius cernit pulcherrimas imagines, amicos, comoediam, alius stupescit visu voraginis visu flammarum, quibus comburatur, ac turbatis per hallucinationes interdum visus deest.

Hallucinationes auditus creberrimae sunt, et quidem illae quibus aegroti opinantur inimicos se persequi conviciis, maledictis, opprobriis. Et ita eis est persuasum de his hallucinationibus, ut etiam ne-

minem videntes contendant hostes loqui per muros et maxime remotos.

In hallucinationibus olfactus odores vel suaves vel malos percipiunt; opinati cibis immixtas esse materias foetidas, sicut venenum in hallucinationibus gustus.

Hallucinationes nervorum sensitivorum qui patiuntur, partim sentiunt prominentias et acumina in cute, opinantur se thoro incumbere, res in manibus tenere, quum nihil in iis est; alii se verberari opinantur ac monstrant corpus verberibus cruciatum. „Un général croyait tenir un voleur et secouait violement ses bras, comme s'il eût tenu quelqu'un qu'il eût voulu terrasser."

Illusiones sunt perceptiones, de quibus false judicatur. Ad discernendas hallucinationes et illusiones quod attinet, in his irritamentum in nervos agit, nec illis; in hallucinationibus phantasia reproductiva agit, in illusionibus judicium errat in irritamentis judicandis. Nervi sensitivi et nervi sensuum agunt in illusionibus, in hallucinationibus non item. In illusionibus irritamenta ad centra systematis nervosi ducuntur, et percipiuntur a centris nervosis, sed de perceptis false judicatur. Illusiones non sunt rarae in sanis, sed temperantur a ratione: ut turris quadrata, quum longe remoti sumus, rotunda esse videtur, sed quum propius accesserimus, error evanescit, ut in itinere montes longe distantes nubes putamus et nubes ducimus montes, porro quum

navigamus, ripa fugere videtur, sed judicio error tollitur. In illusionibus irritamentum normale esse potest, aut pathologicum. Ut irritamentum autem recte percipiamus, integritas nervi et centri nervosi necessaria est.

Tertium accedit attentio. Quando totus animus in contemplatione unius rei occupatus est, irritamentum nervi sensitivi non percipitur. Quando musica nos oblectat, non cernimus. Notissimum est, difficile eodem tempore attente cerni atque audiri. Sed ut attentio totum animum in unam rem vertere potest, ita quoque ista tam vaga ac mobilis esse potest, ut sensus male fungantur, nam ut rem recte percipiam, et sensus et attentio simul agere debent. Sic mania nobis offert exemplum attentionis maxime vagae, quo evenit, ut nulla res ita percipiatur a sensibus, qualis est; vel attentio tantopere fixa est in contemplatione unius rei, ut cetera non observentur, id quod locum habet in ideis ut nominantur fixis, et in affectibus animi, in quibus tantum ea cernimus, quae cum affectibus nostris cohaerent.

Quae igitur animadvertenda sunt in illusionibus, sunt nervi, centra nervorum, attentio quae modo nimis fixa, modo nimis vaga est atque turbata esse potest ideis fixis, vel etiam affectionibus. In nonnullis invenimus irritabilitatem cutis mutatam, cutem scilicet et siccam reperimus et asperam et calidam, non bene ac recte secernentem, insensibilem et ad maximum frigus et maximum calorem. Non-

nulli quum subtilissime tanguntur, vehementer exclamant, opinantes se verberari, comburi ac laniari. „Nous avons à Charenton une aliénée qui pousse des cris dès qu'on la touche du bout du doigt: „Vous me faites du mal! Ne me frappez pas, ne me frappez pas!" s'écrie-t-elle. Un malade prenait chaque brin de paille pour autant de becs d'oiseaux de proie qui le blessaient."

Dolores, quorum causas alienati non perspiciunt, efficiunt illusiones, quia doloribus supponunt causas, quae re vera non sunt. „Mademoiselle a une douleur fixe au sommet de la tête; bientôt elle se persuade qu'elle a dans le crâne un ver qui dévore son cerveau."

Quae sint diversae mentis alienationis causae, quae singulis in casibus morbum produxerint, eas invenire ac recte combinare, sagacitati medici relictum est.

VITA.

Natus sum ego, Albertus Vorster, die XXVI mensis Februarii, anno MDCCCXXI, Hambornae, oppido in ripis Rheni sito, patre Friderico, fabricatore chartarum, quem praematura morte mihi ereptum valde lugeo, matre Rosa e gente a Perrot, quam adhuc vivam maxime veneror. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis a matre imbutus, novem per annos frequentavi gymnasium Marburgense, quod floret directore Vilmar, viro optime de me merito, cujus memoriam nunquam abjiciam. Maturitatis testimonio in gymnasio Marburgensi et Wetzlariensi parato, anno h. s. XL in numerum civium Philippinae ab Ill. Hermann, t. t. prorectore magnifico, relatus sum et disserentes audivi:

Ill. Heusinger de encyclopaedia et methodologia, de medicinae historia, de jatrotechnica, de pathologia generali, de pathologia et therapia speciali; Ill. Buenger de anatomia generali et speciali; de rebus iisdem Cel. Fick; de physiologia Ill. Kuerchner et Ludwig; de zoologia Cel. Herold; de botanice Cel. Wenderoth, de physice Cel. Gerling; de chemia anorganica et organica, de pharmacia, de electro-chemia, cum exercitationibus practicis in laboratorio, Ill. Bunsen. Arte cadavera dissecandi per tria semestria me instruxerunt Ill. Buenger et Fick.

Mense Octobri anni h. s. XLIII ab Ill. Lachmann, rectore magnifico, civium hujus universitatis numero assignatus, et apud Ill. Busch, gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen rite professus, per sex semestria hasce frequentavi scholas: de logice Cel. Michelet; de psychologia Ill. Trendelenburg; de botanice Ill. Kunth; de geognosia Cel. Gumprecht; de anatomia pathologica Ill. Mueller; de arte obstetricia Ill. Busch; de chirurgia Ill. Juengken.

Ceterum exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis interfui Ill. Heusiuger, Schoenlein, Wolff, Juengken, Busch.

Quibus omnibus viris summopere de me meritis, gratias ago semperque habebo maximas.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In hallucinationibus nervi specifico irritamento non irritantur.
2. Illusiones solum per falsum judicium non procreantur.
3. Causae somaticae non sufficiunt ad mentes alienationes provocandas.
4. Anatomia pathologica de alienationibus mentis usque ad hoc tempus nullam attulit lucem.
5. Puris resorptio non est.